

tineri absq̄ue ullâ difficultate ostendi potest. Præcipuè au-
 tem iis, qui N. T. evolvunt, magna eorum obveniet copia. *Matth. IV, 24.* hōmīnes ex totâ Syriâ Christo obtulisse di-
 cuntur Dæmoniacos, ut eos sanaret, q̄vi etiam in iis curan-
 dis admodum facilem sese præbuit. *Matth. VIII, 28.* descri-
 buntur duo ejusmodi Dæmoniaci prorsus ad eum modum,
 q̄vi hodiè requiritur, si de verâ obsessione certi esse debe-
 mus. *E monumentis enim prodierunt sævi valdè, adeò, ut*
non valeret quispiam præterire per viam illam, & clamâ-
runt, dicentes: Quid nobis Tecum, Fili Dei? venisti huc ve-
xatum nos ante constitutum tempus. Unde hæc homini-
 bus his enata erat sævities? unde, nisi à Diabolo eos ita
 localiter movente? Cujus eæ credi possunt esse voces: Quid
 nobis Tecum, Fili Dei? venisti huc vexatum nos ante con-
 stitutum tempus? nonne Diaboli, q̄vi per hosce Energū-
 menos loq̄uebatur? Non enim, ut vexaret homines malo
 isto afflictos Christus venerat, cum eos à Tyrannicâ istâ Sa-
 tanæ inhabitatione liberaret, & pristinæ Sanitati restitue-
 ret; sed ad id apparuisse eum Diaboli ipsi sentiebant, ut ma-
 la illa opera dispergeret. Similiter *Matth. IX, 32.* homi-
 nem mutum Dæmoniacum Christo obtulerunt, cui & lo-
 q̄velam & amissum vigorem restituit. Mutus erat non ex
 naturâ, non ex quodam morbo, sed ex obsessione Diaboli,
 q̄vi ejus linguam sufflaminaverat, ut eâ nec in Dei laudes
 nec in suum commodum debitè uti potuerit. Nec opus
 est, ut omnia exempla apud Evangelistas occurrentia hîc ad-
 ducamus. Seriem eorum exhibet *Friedericus Balduinus*
Lib. III. de Casibus Conscientiæ cap. III. p. 615. Atq̄ve non
 Christus solūm *αὐτοπροσώπως* Dæmones ex hominibus eje-
 cit, sed suis etiam Discipulis, ut id similiter præstarent, de-
 dit potestatem *Matth. X, 8.* Quod ad rationes ex naturâ pe-
 ritas attinet, quibus demonstratur, non nudam esse Melan-
 cho-